D. O. M. A.

ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ PHILOSOPHICA, De MAGICIS ACTIONIBUS EARUMQUE PROBATIONIBUS,

Publicæ Disputationis loco in alma Academiâ Wittebergensi instituta,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI,
Logices & Philos. Pract. P. P,

RESPONDENTE
HENRICO NICOLAI,
Dantisc. Borusso.

EDITIO SECUNDA,



Typis CHRISTIANI THAM, *Acad. Typogr.*

M DC XXIII.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

DE MAGICIS ACTIONIBUS EARUMQUE PROBATIONIBUS.

THESIS I.

VErissimè Philosophiæ moralis solertissimus indagator *Piccolomineus* scientiam nostram formosulam quandam opinationem, & *Scaliger* umbram in sole (*exerc. 307. ∫. 12.*) esse asserunt. Verissimè certè. Cum ad rerum intellectionem mentis nostræ acies tam sit imbecilla, quam Nycticoracis oculus ad Solem intuendum. *2. Metaph. c. 1. Scalig. ex 1. ∫. 1.* & in magno versemur periculo, ne nostra sententia humi repat circa sola accidentia, dum nulla nobis forma plane & plene nota: Et quodammodo non nisi per περιστάσεις cognita sit. Hic si quis miretur, nominet formam illam, nominet formam lapidis, & Phyllida solus habebit, ingeminante eodem *Exer. 307. ∫. 12.* Hæc quærimonia cum de formarum materialium nostris quotidie oculis obversantium confusa cognitione sit vera, quantus quantus de essentiis spiritualibus earumq; actionibus, scientia erit plangor & angor! Certè si ullibi locum invenit tritum illud: δύσκολα τὰ καλά: hic de intelligentiarū actionibus omninò invenit. Harum autem cum tria inprimis sint genera, circa unum διάσκεψις præsens occupata erit, non quidem quoad essentiam obscurissimam, sed solas duntaxat effectiones. NON circa summi illius DEI, quippe qui propter immensitatem luce sua aciem obruit humani intellectus. *Nec* circa animarum immortalium: sed circa mediorum spirituum, Intelligentiarum scilicet, earumque malarum actiones, quæ *Magicæ* indigitari solent, intellectus hac vice versabitur, quid in præsente *de Magicis actionibus*, de quibus passim mirè dictum & scriptum, negotio, verum falsumne sit, disquisiturus.

II. Principio *Actiones Magicas*, Physicæ adeoq; Philosophicæ considerationes esse facilè liquet. Etsi enim in illis primum illud mo-

vens, Dæmon scilicet, considerationis Physicæ non omnino sit: subjectum tamen, quod movetur, atq; ipse motus, alteratio, motus localis, contemplationi Physicæ sunt subjecta. Quia item subjectū, quod movetur à Dæmone, utplurimùm violenter afficitur, omne autem violentum naturale præsupponit eodemq; reducitur. *5. Phys. c. 6. t. 57.* Magici utiq; motus, quippe violenti in Naturali scientia, ubi de motibus naturalibus disceptatur, considerandi erunt. Nec est quod objicias: *Formas abstractas à Metaphysico considerari. E & motum istarum formarum ad Metaphysicam ablegari debere.* Est enim diversus formarum considerandi modus. Metaphysicus formas istas agnoscit esse motores æternos. Physicus eas admittit ut tales: Metaphysicus ut subjectum: Physicus ut principium in sua scientia illas considerat: Metaphysicus novit, quid sint abstractæ formæ: Physicus solùm, quod sint.

Quæstio I. An sint Magi?

III. Sed ut ad rem deveniamus, de Magia, quam hac disceptatione ventilandam proposuimus, & Magis duplex inprimis volvitur quæstio: *I. An sit Magia? II. An talis sit, qualis esse perhibetur.* Esse Magos Diabolicos, etsi impudenter satis à nonnullis fuerit negatum, de quibus *Bodinus præf. libr. dæmon.* præter tamen S. Scripturæ autoritatem omni exceptione majorem Exod. 7. v. 11. c. 8. v. 18. Lev. 19. v. 31. Deut. 18. v. 10. 1. Sam. 28. v. 7. Act. 8. v. 1. c. 33. v. 1. multi tùm Ethnicorum, *Aristot. l. de miraculis auditis, Plutarchus lib. de invidia & odio. Cicero l. 1. de natur. Deor. Plinius aliquot locis, 25. nat. lib. c. 9. l. 26. c. 4. imprimis verò l. c. 30. c. 2.* tùm singuli populorum confirmant. Frequens enim apud omnes Magorum est mentio. Fuitq; nomen apud Persas honoratissimum atq; amplissimum, nihil enim aliud, quàm sapientem notabat. *Ælian. l. 2. var. hist.* imò ipsis Regibus tribuebatur. *Peucerus l. de divin. Cicero l. de divin.* Nunc autem odiosum fecit colluvies impostorum, ut Magorum nomen à Sacerdotibus & Philosophis sanioribus devenerit ad eos, qui fœdere cum Diabolis inito se illi quocunq; modo obligant, adeoq; *Magus* hodie num vocetur, *qui ex fœdere facto Diaboli opera ad rem quamcunq; utitur. Magia* verò artificium à Diabolo traditum, quo Dæmones moniti aut evocati à confœderatis suis ea præstant, quæ requirunt.

Quæstio II. An Magia sit talis, qualis esse perhibeatur?

IV. Quid primò disceptetur adhuc vidimus. Alterum, quod venit in Controversiam, est explicatu difficilimum; nimirum: *An Magia sit talis, qualis esse perhibetur?* hoc est, An ea, quæ de Magis narrantur,

rantur, verè ſint talia, qualia eſſe jactantur. Ut quando conventicula adire, commeſſationes celebrare, hominem in beſtias transmutare dicuntur, an ea revera ita ſe habeant? Equidem quæ de Magis referuntur, varii ſunt generis: dupliciter diſpeſci commodè poſſunt: Aut enim ipſis accidunt Magis, & hoc vel ad animum vel ad corpus: aut à Magis in alios derivantur.

Eorum quæ ipſis Magis evenire narrantur.

I. Quæſtio: Poſſintne animi Magorum vi Diabolica extra corpora abripi, & ad panegyres ſuas ferri?

V. Eorum, quæ magis ipſis evenire narrantur, duo inprimis ſunt. PRIMUM EST, *Animi Magorum extra corpus abreptio, & ad nocturna comitia* (auff den Blocksberg) *translatio.* De hac Controverſia occurrit. *Poßintne animi Magorum vi Diabolica extra Corpora abripi, & ad Panegyres ſuas ferri? Bodinus* animi hanc abreptionem revera contingere ſtatuit *l. 2. dæm. c. 5.* Nos negativam defenſuri argumentamur: I. *Corpus Magi*, cujus animus exſpatiatus & abreptus dicitur, aut erit vivum aut mortuum. Si vivum. E. animatum. At hoc non, cum nihil poſſit eſſe animatum ſive anima, quippe quod contradictionem involvit. Si mortuum. E. poterunt mortui vi Dæmonum reſuſcitari. Quod miraculorum & ſolius Dei proprium artibus Magicis nulla ratione effici poteſt. *Deut. 32. v. 39. Sap. 16. v. 13.* II. *Si animus* Magorum extra corpus abripitur, corpus autem ſopitum domi reſtat, (ſæpiſſimè autem eo ipſo tempore, quo profectos ad ſua comitia ſe fuiſſe affirmarunt, domi ſtertere viſi ſunt Magi. *Bodin. l. 2. c. 5. Camerar. Cent. 1. meditat. c. 72.*) erunt aut duo ὑφιστάμενα, aut unum. *Prius* eſt abſurdum, una enim ut hominis eſſentia ita & exiſtentia, nullaq́; vi Magica duplex reddi poteſt, cum eſſentia & exiſtentia re non diſcernantur. *Poſterius* eſſe non poteſt, cum & animus extra corpus abreptus ſua propria, & corpus domi relictum ſuâ ſubſiſtentia ſubſiſtat, unde duæ unius hominis oriuntur ſubſiſtentiæ. Non itaque incommodè ἔκστασιν hanc quis definierit ſenſuum externorum ad interna converſionem talem, ut nec paſſio corporea, nec motus externus percipiatur. Quemadmodum *Plinius lib. 2. c. 52.* Hermotinam quendam Clazomenium ita in exceſſum mentis abreptum tradit, ut corpus ejus mortuum & ſenſus expers ſubſiderit. Nec minus verè cum *Peucero l. de div.* ludibrium dæmonis, quo ille revocatione ἐκστατικὸν ad ſeſe ceu ex morte in vitam conatur effingere opus reſuſcitationis mortuorum, ſolius DEI proprium, Diabolo inimitabile.

Objectio I. VI. Objeceris verò. I. *Abrepti illi seu ἐκστατικοὶ dicta statutaq; hora revertuntur, quod non fieret, si vel somno tantum occumberent, vel sensus ad interna conversi essent.* Resp. Objectio hæc ambitionem animæ non probat. Quid enim si somno arte Diabolica & pharmacorum naturâ evocato devincti teneantur Magi, annon justo tempore, quo Dæmoni visum fuerit, ab eò excitari possunt; inprimis cum ipsi tanquam fabulæ totius actori, somnum confœderatis suis inducere, eundemq; ubi lubitum fuerit, abrumpere & finire operosum non sit. *Atqui,* inquis; *Magi nec verbera nec inustiones morantur, Non autem potest esse somnus tam profundus, quem ignis cuti admotus non excutiat.* Resp. Ea narcoticorum vis esse perhibetur, ut somno devinctos nec triduo dimittant. An ergò sopiti hi dolores senserint? Turci eos, quos castraturi sunt, his narcoticis potionibus ita soporant, ut nec dolores, nec verbera aut inustiones morentur. *Bodinus l. 2. dæm. c. 5.*

Responsio.

Exceptio.

Responsio.

Objectio II. II. *Objicies: FATENTUR ipsi Magi, se animo extra corpus abripi, corpore domi relicto. Cardanum scribere author est Bodinus. l. 2. c. 5. se cum luberet, per ecstasin extra corpus rapi adeò, ut corpus maneret ἀναίσθητον.* Resp. Confessio Magorum partim nil probat, est enim corrupti animi & judicii: Partim nil probat aliud, quam somniasse vel vidisse se aliquid, qua autem ratione, an animi extra corpus abreptione, an corporis ipsius exportatione, non probat. Quin pervertit sensus suorum ita diabolus, ut abreptos se fuisse deinde glorientur.

Responsio.

Objectio III. VII. Objicis III. *Multas locorum & personarum aliasq; materiatas conditiones è sua profectione enarrant Magi, quæ veræ esse deprehenduntur, imò multas delitias, epulas, commessationes, aliaq; innumera referunt reversi. Corpus autem domi visum est stertere. E. oportet animus à corpore fuerit solutus.* Resp. Hæc objectio tantum abest, ut animi à corpore distractionem probet, ut potius eam ipsam impugnet. Si enim referunt quædam è sua profectione Magi, non utiq; mens erit à subjecto sejuncta & ex corpore abrepta, utpote quæ à materia separata talia neque facit, neque patitur, neque ullo modo ita, ut referunt, sentit. Commessationes igitur, de quibus gloriantur Magi, sunt meræ incantationes & præstigiæ Diabolicæ, quibus miserorum hominum mentes obfascinat veterator ille, ut ea sibi exercere homines dementati videantur, quæ nulla sunt. Hinc per somnum somnia monet prodigiosa, quibus volare, commessari, tripudia exercere sibi videntur Magi, quæ deinceps etiam pro veris constanter

Responsio.

ter asseverant. Et ut manifestius evadant dicta, insigne refert exemplum cujusdam, quod addere operæ pretium fuit visum *Camerarius c. 1. med. c. 27.* cui, cum harum rerum studio tenebatur, evenit aliquando, ut repente ablatus domo sisteretur in loco amœnissimo, ubi cum totam noctem spectasset choreas, indulsissetq; epulis, mane ubi omnia illa disparuissent, vidit se in spinis inter densissimos vepres hærere; & quamvis sibi visus fuisset comedere, fame tamen ferè conficiebatur. Ita suis illudit artifex. *Veruntamen*, inquis, *interdum Magi reversi literas, cultellumve eorum, qui absunt longissimè, secum reportant, corpore ante oculos multorum jacente immoto.* E. animus revera *exspatiatur.* Resp. Nihilominus. Ipse enim dæmon sub nomine Magi ea efficit, & quo efficiat commodius, oculos astantium obfascinat, Magisq; cultellos subreptos, quos ostendant, tradit, ut ita astantes revera ea à Mago fieri existiment, quæ Diabolus astu oculorum aciem anteveniente efficit: corpore interim sopito ante oculos multorum relicto. *Exceptio.* *Responsio.*

IIX. *IV. Corpora Magorum interdum per aërem vehuntur & exportantur, de quo apud omnes constat. At hoc est contra naturam. E. & animi exspatiatio, licet contra naturam videatur, non tamen neganda est.* Resp. 1. Corpora Magorum in sublime per aëra vi Dæmonium vehi contra naturam non est, sed solum violentum. Potest enim tanta esse externi motoris vis, ut etiam contrà quam propensum sit mobile, impellat. Sic nonnunquam integræ moles saxorum à ventorum vehementissimo motu in sublime per aërem hac atque illac jactitatæ fuerunt violenter. 2. *Committitur* in hac abjectione ἑτεροζήτησις: Quæstio est, utrum animus Magorum arte Magica extra corpus abripi possit, corpore relicto: Concluditur hoc argumento, corpore exportari Magos & Sathana & in sublime per aërem vehi, de quo Controversia adeò non est. Quanquam & hæc ipsa exportatio interdum revera non fit, quod ex eo dijudicari potest, quod sibi contigisse scribit *Johannes Baptista Porta l. 2. de maga. natur. c. 26.* cujus verba hæc sunt: *Incidit*, inquit, *mihi in manus vetula quædam earum, quas à strigu avis nocturnæ similitudine striges vocant, sponte pollicita, brevi temporis spatio allaturam responsa.* Jubet omnes foras egredi, qui mecum erant, acciti testes: spoliis nudata tota se unguento quodam valde perfricavit, nobis è portæ rimulis conspicua: Sic sopor ferorum vi succorum cecidit, profundoq; occubuit somno: fores *Objectio IV.* *Responsio.*

ipsi

ipsi patefecimus, multum vapulabat, tantaq; vis soporis fuit, ut sensum eriperetur, ad locum forâs redimus, jam medelæ vires fatiscunt flaccescuntq; à somno revocata multa incipit fari deliria, se maria montesq; transmeasse, falsaq; depromit responsa: Negamus, instat: Livorem ostendimus, pertinaciter resistit magis. Hæc ille.

Exceptio. IX. Excipies nilominus ad dicta hactenus. *ACTIONEM ESSE MAGICAM, ideoq; ad leges naturæ non tàm accuratè adstringendam. Nam si plurimæ res naturales sint obscuræ & incredibiles, multò magis potentiam actionesq; spirituum, qui longè secus ac naturæ ferat cursus sua cœpta perficiant, animi nostri captum excedere, ideoq;* ἐν τῷ ὅτι ἐστὶ, *si τὸ διότι attingi non potest, acquiescendum esse necesse est.*

Responsio. Resp. Petitionem committi principii. Quæritur hoc, an, quia actio est Magica, necessitati naturæ sit eximenda. Pertinere has actiones ad Physicam contemplationem dictum fuit thes. 2. Et cum effectus actionis Magicæ sit quid naturale, quod à Mago ad effectum subordinatur itidem sit res naturalis, ut herba, radix, aqua, &c. Cur non & ipsa actio ad statuta naturæ sit revocanda? Geniorum quoque vis maxima quidem tanta tamen non est, ut necessitatem & facultates causarum naturalium possit evertere. Sed norunt astutè simul & violenter pluribus modis patientibus adjicere agentia, aggravare vires facultatum, ut gravior eò & celerior producatur effectus. Intellectus autem debet quiescere in re obscura, ubi τὸ διότι assequi non potest, si ipsum τὸ ὅτι ἐστὶ, sit certum & indubitatum: Secus quoniam hic evenit, ut ipsum τὸ ὅτι in disceptationem veniat, non potest intellectus in eo, utpote in re dubia & controversa finem inquirendi ponere. Quandoquidem hic, an ita se res habeat, ut vulgo fertur. in Controversia est positum.

Quæstio II. An Dæmones cum hominibus congredi & proinde gignere queant? X. Vidimus primùm, quod circa ipsos Magos & Magas contingere narratur, ἔκστασιν nimirum, sive animi extra corpus translationem. *Secundum* quod circa ipsas Magas evenire putatur, est *DIABOLICUM MAGIS CONGRESSUS & ex EO GENERATIO.* Quæritur: *Possintne Dæmones verè cum hominibus congredi, & proinde generare;* Inveneris non paucos hac opinione imbutos, posse & Dæmones humanis corporibus assumtis cum hominibus copulari, & generare, unde si cum mulieribus congrediantur, Ephialtas sive incubos, si cum viris, hyphialtas seu succubos nasci. *Bodinus l. 2. c. 7.* Contrà nos sic colligimus: *I. Ubi* deest materia generationis, ibi

nec

nec ipsa generatio adesse potest. At in Dæmonibus abest materia generationis, semen puta. E. nec ipsa generatio ipsis potest competere. *Minor prob.* Si habent Dæmones semen, aut habent *à seipsis*, aut *ab alio*. At non habent *à seipsis*, quia semen non est nisi ab alimento. *Arist. l. 2. de gen. anim. c. 3.* Dæmones autem ali non possunt. Quare nec semen habent. *Nec ab alio*, (quod quidem multis placere videtur, qui si fortasse alicui semen excidat, subdole hoc à dæmonibus surripi, atq; inde fœtum postea progenerari affirmant, quorsum inclinat *Vallesius lib. de Sa. Phil. c. 8.*) 1. enim is dicitur generare, non qui semen aliorsum transtulit, sed qui emisit: Is enim confert materiam & efficientem, translator autem nihil ad effectum confert. 2. Receptum est in scholis Philosophorum & Medicorum, quod virtus seminalis insideat in partibus seminis tenuissimis, hoc est, in spiritibus, qui huc illuc transferri non possunt, quin confestim evanescant, & vim omnem impraegnationis amittant. *II. Si* possunt congredi dæmones cum homine & generare, generabunt aut Dæmones aut homines. Non Dæmones, hoc enim dato parum abest, quin omnes angulos jamdudum Dæmonibus vidissemus repletos, cum secundum *Augustinum cont. Jud. c. 9.* homo ex homine nascitur, Diabolus ex Diabolo non item: Non homines, simile enim generat simile, nec poterit hic fieri commoda commixtio, cum sint species diversissimæ. Rectè itaq; *Damascenus l. 2. de fide c. 3.* Quotquot sunt, inquit, qui essentiam illam, quæcunq; tandem illa sit, ab Angelis procreatam esse contendunt, horum ore pater ipsorum Diabolus loquitur.

1. Argumen.

2. Argument.

XI. Objicies: *I. Locum Gen. 6. v. 4. Ingressi sunt filii DEI ad filias hominum. Ubi per filios Dei dæmones intelligantur.* Resp. Nomine filiorum DEI non denotantur ibi Angeli aut Dæmones, sed orti ex sancta stirpe Seth, nomine autem filiarum hominum eæ, quæ erant ex familia Caini. Explicatio est *D. August. l. 15. de C. d. c. 23.* *II. Omnium Magarum unanimem & constantem esse confessionem, Diabolum assumta viri forma secum concumbere, quin etiam, si visum fuerit, gravidas se facere velle, quod cuidam Sagæ Dæmonem ultrò obtulisse, refert Bodinus in præfat. Dæmon. & l. 2. c. 7.* ℞. Confessio Magarum quia est corruptæ imaginationis, nil probat aliud, quam in concumbendo sensisse se pruritū quendam, ut solet Dæmon animo Magi jam demantato lascivam speciem suggerens affrictu pruritum excitare, quo exagitati Magi mire delectan-

Objectio I.

Responsio.

Objectio II.

Responsio.

lectan-

lectantur. Quod ad oblationem Diaboli, multa promittit pro more suo impostor, quæ reipsa præstare, etiamsi totis viribus annitatur, non valet.

Objectio III. III. *Sæpius esse visos tales pueros, succubos, sive incubos, qui ex dæmonium coitu nati sunt crediti, quod exempla multorum declarent.*

Responsio. Resp. Quod nonnunquam tales succubi sint inventi, qui ex dæmonibus generati fuerunt dicti, meris id factum est ludibriis Diabolicis, quippe is vel distendit mulieri ventrem, & in partu fucato puerum supponit, ex aëre condensato factum, quem ad tempus ipse movet, per quem ipse loquitur, per quem tam acriter matris sugit ubera, ut vix multarum matrum lac sufficiat, (*Lutherus* puerum in Saxonia fuisse refert, qui quinque mulierum ubera suxerit, nec tamen expleri potuerit, consentit *Bodinus lib. 2. c. 7.*) adeò ut verissimè cum *Augustino, Hieronymo, Gregorio, Nazianzeno*, contra *Lactantium & Josephum* afferatur, Diabolum in carne non hominem esse; vel etiam infantem aliunde raptum cum alterius matris infante permutat.

Instantia. *Attamen*, pergis, *si potest inferior virtus, ut rana ranam, vermis vermem, virtutem producere, quidni Angelus & Dæmon tanquam superiores virtutes, corpus producere possint.*

Responsio. Resp. Quod potest virtus inferior, potest etiam superior, servando scilicet objectum ejus virtutis, non egrediendo totam ejus latitudinem. Sic rana ranam potest producere: homo tamen etsi sit nobilioris virtutis, ranam producere non potest. Et sic etiam corpus producere est extra latitudinem objectorum possibilium Angelorum aut Dæmonum, propter disproportionem ad corpora.

Eorum, quæ à Magis in alios exercentur. XII. Fuerunt ea, quæ Magis ipsis tam quoad animum quam corpus evenire narrantur. Supersunt in actionibus Magicis videndæ eæ, quæ à Magis in alios exerceri dicuntur. Hæ variæ sunt. Primum non immeritò locum obtinet ea, ut dicitur, qua nihil decantatius, λυκανθρωπία, seu hominis in vices, ut suem, lupum, asinum, aut etiam animati in inanimatum, transformatio.

Quæstio I. An homo in lupum transfigurari queat artibus Magicis? *Possitne individuum unius speciei sine destructione sui artibus Magicis in aliam speciem contrariam* E. g. homo salva manente ratione in lupum *transformari?* Disquisitionis est. *Olaus Magnus* de Metamorphosi hominum in lupos diversa recenset & incredibilia, *l. 18. de animal. Sylv. c. 45.* quæ *Bodinus* tanquam vera credere videtur in *med. hist. c. 4. p. m. 75.* qui tamen mentem suam apertius declarat *l. 2. dæm. c. 6. Homines* in bestias verti constat forma integrâ permanente, sive potentia DEI sola efficiente, sive

per

per Sathanam effectorem atque ad ministrum voluntatis ejus, inquit *l. c. Peucerus* idem pro vero habere videtur *l. de divin.* etsi alibi aliter sentiat. *Ovidius* Lycaonem Arcadiæ Regem in lupum transformatum narrat *l. 2. met. Pomponius Mela l. 2. Solinus c. 25. Gregor. Toloss. l. 34. Syntagm. c. 16. Herodotus l. 4.* Neutris statum tempus esse scribunt, quo, si velint in lupos, iterumque in eos, qui fuerint, mutentur. Asinum ordinariæ lectioni Ammonii Philosophi Peripatetici intersuisse legimus, ait *Bodinus l. 2. c. 6. Homerus* de Circe venefica, Ulyssis comites ab ea in porcos transmutatos, eosdemq; ab eadem pristinæ formæ restitutos esse refert *odyss. 10.* quod & *Augustinus l. 18. de C. D c. 17.* adducit. *Virgilius* herbarum & imprecationum meminit, quarum virtute illa fiat transfiguratio. *Ecl. 8.* Et hac hominum in bruta tranformatione apud Veteres quid decantatius? Etiam Livonibus λυκανθρωπίαν hanc hodienum revera contingere multis est persuasum, qui tunc Germanis Beerwolff dicuntur.

XIII. Nos cum *Plinio* omnis antiquitatis promo condo fidissimo *l. 8. nat. hist. c. 22.* homines in lupos verti rursumq; restitui sibi, salvo majorum judicio falsum confidenter existimamus. Argumentis ducti: I. *Si* potest homo essentialiter transformari in lupum, admittet talem transformationem, *aut* materia hominis, *aut* forma. At neutra horum admittit. E. plane non. *Non materia*: Hæc duplex, *prima & secunda. Ex prima* nihil generatur, sed ex ejus gremio educuntur omnes formæ: *Ex materia proxima & secundâ* omnia generantur, quæ generantur. Hæc quoniam ad certam formam & à certa forma est determinata, (quandoquidem omnis determinatio est à forma) non quidem accidentali solum, ut quantitate, qualitate, sed substantiali potissimum, non potest esse aliarum formarum capax. Sic homo, quoniam per illam formam humanam jam est determinatus, non potest esse capax formæ lapidis, aut bruti. Hinc ergo quodcunq; est à forma, est certa specie determinatum. Quod certa specie est determinatum, non potest recipere speciem diversam. Sic quod ex animali nascatur animal, & non ex bruto, aut lapide, fit, quod ista materia per certam animalis formam & speciem sit determinata: At materia hominis est certa forma determinata, & per consequens specie ab aliis distincta. E. non potest illa transformationem alius cujusdam materiæ, ut lupi, asini, &c. propter determinationem formæ admittere. *Sed nec* FORMA talem trans- 1. Argum.

figurationem admittit. Quia actus quilibet definitus est & definitum requirit subjectum. Ergò non potest unius speciei natura actu esse in alia, aliàs non suo subjecto definiretur, adeoq; nec essentia hominis poterit esse in essentia lupi, nec ullum efficiens finitum (Deo excepto, qui infinitè & eminentissimè agit, quæ vult) ejusmodi metamorphosin producere potest.

Exceptio. XIV. Excipis: *In viribus efficientis, Diaboli scil. rem totam esse collocandam. Eum enim, quoniam spiritus est potentissimus quantumlibet forma adversante, contrarium subjectum inducere posse.* CONTRA. *Aut* poterit hoc diabolus efficere naturaliter, *aut* supernaturaliter. At *naturaliter* id præstare non potest. Quia ad naturalem transmutationem animatorum requiritur non tantum ejus substantiæ, quæ est in aliam transmutanda, corruptio, sed etiam generatio ejus substantiæ, in quam alia est transmutanda. Diabolus autem de novo propria virtute generare non potest aliam substantiam, quia spiritus est.

Responsio. Neq; *supernaturaliter*, quia ad supernaturalem transmutationem requiritur annihilatio & creatio immediata, quarum neutra in diabolum cadit, sed est solius Dei propria.

XV. *II. Argumentum*: *Aut* forma hominis in ista metamorphosi manet, *aut* interit. *Non hoc*, quia 1. tolleretur animæ immortalitas. 2. non posset redire, quod tamen de lycanthropis asserunt. *Neq; illud*: Siquidem *aut* in proprio manebit corpore, *aut* soluta ab hoc in aliud tamdiu migrabit. Non *prius*, siquidem corpus humanum mutari dicunt in lupinum, quomodo verò anima rationalis in bruti corpore esse potest? Annon animal irrationale foret rationale, quod contradictionem involvit? *Non posterius*, quia forma certa & specifica est determinata materiæ certę, ut alteri communicari non possit. Et ut appareat luculentius, vana esse quæcunq; de fictitiis λυκανθρώποις referuntur, omnia, merosq; esse lusus & fraudes diabolicas, quibus phantasias hominum perturbat, addemus Exemplum cujusdam, qui & se quotannis bis ita mutari solitum somniavit. Refertur hoc à Doctiss. Viro *Georgio Sabino in interpret. l. 7. Metam.* Ovid. atq; ex eo à *Camerario Cent. 1. medit. cap. 72.* cujus verba sunt hæc: *Apud Borussos fama est, inveniri Lycanthropos & homines, qui quotannis in beluas mutentur, à quibus nuper unus fuit captus, & duci Prussiæ adductus à Rusticis, quorū jumenta dilaniasse credebatur.* Erat homo deformis, nec multum feræ absimilis, habebatq; vulnera in facie, quæ dicebatur accepisse

morsus

morsus à canibus. Is à quibusdam, quibus Princeps id negotii dederat, interrogatus ajebat, se quotannis bis ita mutari solitum, primo circa Natalem Christi, deinde circa Johannis Baptistæ Festum, iisque temporibus efferari se & cogi impetu quodam naturæ versari in Sylvis intra lupos: maximo autem horrore & languore corporis se affici, antequam pili erumperent, & forma mutaretur. Hæc affirmanti sunt credita. *Sed cum ad explorandam rei veritatem diu in arce captus detineretur, & diligenter à custodibus observaretur, an aliquando lupus efficeretur, retinuit semper eandem formam, quam habuit. Is fuit exitus fabulæ.* Unde patet, ea, quæ de ambiguis lupis narrantur, esse falsa, utpote quæ homines mente capti sibi imaginantur. Hæc Sabinus.

XVI. *Quid ergò tandem*, inquis, *de* λυκανθρωπίᾳ *& similibus transformationibus tantopere apud Veteres decantatis statuendum?* Resp. quam *Aristoteles lib. 7. Ethic. c. 1.* describit feritatem, quæ appetitum humanum in beluinum perversa ratione, convertit, ejusmodi ego ipsam λυκανθρωπίαν esse, *non figuram aut formam, sed appetitum humanum exuentem*, affirmarim. Illius ipse loco citato triplicem assignat causam. 1. *Est humanorum morum in beluinos degeneratio.* Ea est quarundam gentium feritas, ut nudo incedant corpore, in sylvis palentur, carnibus crudis etiam humanis vescantur. *Plinius l. 5. c. 8. l. 6. c. 17.* 2. *Est morbus corporis gravissimus*, Phantasiam inprimis vehementer vitians, unde vitio humorum sæpè excitantur fœdæ persuasiones, *Kerckerm. curs. Phil. disp. 14. quæst. 12.* appetitus ferini & desideria abominandorum ciborum. *Mizaldus Cent. 1. memor. aph. 28. 56. cent. 7. aph. 78.* Sic *Petro Pomponatio* celebri olim in Italia Medico oblatus est æger lycanthropia laborans, quem rustici forte sub fœno repertum captumq;, quia se lupum esse clamabat & urgere illos jubebat, ne ab illo devorarentur, excoriare cœperant, ut explorarent, an versipellis esset, hoc est, inversos pilos haberet, sic enim opinione vulgi erant persuasi: sed Pomponatii Medici intercessione dimissus & per idonea medicamina curatus fuit. 3. *Causa est prava consuetudo & diuturna bacchatio.* Sic *Cleomenes* Spartanorum Rex ex longa cum Scytis helluatione eò feritatis pervenit, ut proprios sibi artus ferro obtruncarit. *Quarta addi potest putatæ lycanthropiæ causa, sævitia scilicet Diaboli*, qui impios quidem omnes ad dissolutam vitam adducit, quorum autem animos per vim occupat, eos ad facinora impia non humano, sed beluino planè appetitu compellit. Hinc

Camerarius cent. 1. c. 72.

rationem & melancholiam turbat, nonnunquam planè evertit: falsasq; species oculis objicit. Nihil ideò mirum, si nonnunquam vel hominum petulantiorum, vel ægrorum sensus variis & vanissimis illusionibus præstigiisq; sint decepti, ut ea putarint videre, e. g. ursos, lupos, feles, quæ nil nisi præstigiæ & fascinationes fuerunt.

XVII. Ne autem ἀλόγως prolata hæc videantur, modos brevibus subjungemus, quibus veterator ille cumprimis ludere solet. *Tribus* ergò modis mira sua præcipuè perficit. I. *Verum objectum removendo.* Erfordiæ Monachus visus est rustico currum fœno adimpletum nec non & equos currum trahentes uno & altero rictu penitus devorare. Hoc enim Monachus rustico, eò quod de via cedere nollet, minitatus fuerat. At paulò post rusticus & currum & fœnum & equos salvos extra urbem in loco quodam invenit. Eo scilicet Sathan tantam molem deportarat. II. *Falsum & phantasticum objiciendo.* Sic de Comite quodam Aspremontense narrat *Bodinus*, quod domum ad se venientes tractare magnificè excipere? sit solitus, adeò ut accurati cibi, officia, omniumq; rerum copia turmis eò divertentibus summoperè satisfacerent. Sed hæc omnia falsissima & præstigiatoria arte introducta fuisse docuit convivii finis. Postquam enim diu lauteq; se cœnasse hospites existimarunt, fame deinde & siti, quamprimum ab eo exire oppressi fuerunt. III. *Sensus hominum pervertendo.* Testatur hoc exemplum *Johannis Fausti*, Gudlingensis, Mag. exquisitissimi: Qui cum aliquando apud notos diverteret, qui de ipsius præstigiatricibus actionibus multa audivissent, petierunt ab eo specimen quoddam artis suæ. Quod cum ipso diu multumq; renuisset, importunitate tandem sodalitii ebrii victus, promisit, se illis, quodcunque expeterent, exhibiturum. Unanimi igitur consensu postularunt, ut illis vitem plenam racemis exhiberet. Hoc cum se facturum recepisset, serio interminatus est, ne quis ullam uvam decerperet, donec ille juberet: secus si facerent, imminere periculum capitis. Consensere omnes: mox ludibriis suis huic ebriæ turbæ ita oculos perstrinxit, ut illis tot uvæ miræ magnitudinis & succi plenæ in vite pulcherrima apparerent, quot ipsorum adessent. Rei itaq; novitate capti & ex crapula sitibundi sumtis suis cultellis exspectarunt, ut illos uvas rescindere juberet. Tandem cum illos aliquandiu in errore suspensos tenuisset, *Faustus*, subito in fumum

l.2. dæm. c.4. *Camerarius cent.1. c.71.* *Camerarius cent. 1. c. 70.*

abeunte

abeunte vite cum suis uvis, conspecti sunt singuli tenentes loco uvæ, quam unusquisque apprehendisse videbatur, suum nasum, apposito superne cultello, ita ut si quis immemor præcepti dati uvas secare voluisset, seipsum nato mutilasset. Quis ex his non videt, Diabolum in *primo exemplo* verum objectum abstulisse, in *altero* falsum objecisse, in *tertio* verò sensum, visum, tactumque penitus pervertisse.

XIIX. Eosdem ergò & similes lusus in hac sic dicta λυκανθρωπίᾳ exercere diabolum concludimus. *Scilicet hominibus in quodam loco alto sopore oppreßis* (deprehenduntur enim isti lycanthropi alicubi stertere. *Peucerus de divina. pag. 144.*) *corpus lupinum assumit, aut ex aëre aliave materia sibi format, & talem cladem excitat, qualem hominem perpetrasse volunt,* (Exemplum habet *idem loco citato*) *propterea quod vulnera à pastoribus aut viatoribus isti lycanthropo inflicta ejus in corpore appareant, cum tamen diabolus id ipsum vulnerare queat: Vel etiam homini furore agitato (tali enim societate gaudet) eximias ferarum affrabè aptat, vel similem effigiem ac formam aëream illi circumdat, non verò substantialiter mutat.*

XIX. Ex prædictis omnibus patet liquidò, præstigias *Magicas* & ipsam sic dictam lycanthropiam nihil veri ac solidi ostentare, Magicæq; artis peritiam nil nisi ad circumscribendos oculos valere, eaq; quæ fascinati imaginantur, præter imaginamenta & lusus nullam actionis & essentiæ veritatem habere. Etsi autem hæc sint verissima, & rationibus solidis enervari non possint, inventi sunt tamen viri non inerudici, qui nescio quo consilio ducti, aut quo affectu moti, contrà sentire & disputare sunt ausi. Quorum ne quid ambiguitatis supersit, rationes contrarias paucis examinare placet.

XX. Objiciunt ergò: I. *Exempla è Sacris petita, quibus, ut ipsis quidem videtur, homines in bruta & inanimata conversi narrantur. Ut exemplum Nabuchodonosoris in bovem mutati, Dan. 4. v. 30.* Uxoris *Lothi in statuam conversæ, Gen. 19. v. 26. baculorum à* Magis Ægyptiis *in dracones commutatorum, Exod. 7. v. 12.* Resp. I. *Generaliter:* Argumentum nil concludit: Quæritur: An artibus Magicis homines transformari possint in beluas? Hic concluditur: Ergo divinâ potentiâ quidam mutati leguntur. Concedi potest totum. Addo: Quæ divina vi præter naturæ fiunt leges, à Magicis lusibus toto genere ibunt separanda. 2. *Specialiter* ad Exemplum Nabuchodonosoris. Ex toto contextu historiæ

Objectio I.

Responsio.

historiæ sacræ apparet, non ὄντωδῶς eum in beluam mutatum fuisse, sed solum ratione privatum phantasia & affectu beluino laborasse. *Quod uxorem Lothi* transformatam attinet, fuit ea judicio & ultione divina in statuam salis conversa. Quid autem hoc ad potestatem Dæmonum aut Magorum? *Quod autem ad baculos à Magis* Ægyptiis in draconos conversos, 1. non æquè operosa est baculi in serpentem transformatio, atq; hic transitus, qui ab homine ad brutum tendit. 2. disceptatur, an baculi revera sint transmutati? *Josephus sanè. l. 2. antiq. 5. Wierus l. 2. c. 8. Casmannus in Angelog. par. 2. c. 18. q. 4.* existimant, incantatores præstigiis fascinasse oculos spectatorum, ut baculi ipsis serpentes viderentur. Etsi autem certum est, Magos solere hoc facere & posse: quia tamen serpentes Magorum devoratos esse à serpente Moysis asseritur, quod per præstigias factum non fuit, quandoquidem DEUS nemini illudit: ideò probabilior quorundam Patrum videtur opinio, existimantium, diabolum remotis baculis serpentes aliundè allatos produxisse. Ut ut sit, possunt Magi per generationem æquivocam mixta sensibilia, ut muscas, mures, ranas, serpentes, producere. Ab hac autem actione ad essentialem hominis in beluam transmutationem nulla est sequela.

Objectio II. XXI. Objiciunt *II. Exempla mulierculrum Magarumq; confitentium se in lupos transmutatas fuisse, ostendentium item in propriis corporibus vulnera, quæ in ista imagine sibi illata esse asseverant.* Resp. Diabolus sensum istarum mulierculrum ita pervertit, ut existiment se canes, feles, lupos, aut simile quid esse. Certè si hæc confessio quid probat, mortuum se esse quidam, gallum alius, ursum se esse somniavit quidam, alius capram, leonem, &c. se esse confessus est, mirum ni & hos tales re ipsa extitisse affirmaris! Quod si vulnera in corporibus ostendant Sagæ, benè respondet *Lutherus*, Magas illas domi à Dæmone sauciari. Deinde ut aliis persuadeat Sathan, non à se, sed ab aliis vulneratas esse, effingit, ut est astutia, ejusmodi imaginem, quam mulieris phantasiæ jam antea impressit, alicui obviam mittit, occasionemq; dat, ut species immissa & sub illa ipsæ Magæ vulneratæ esse videantur. Adde Thess. 18.

Responsio. Camerarius cent. 1. c. 72. Keckerm. curs. Phil. disputat. 14. quæst. 12.

Objectio III. XXII. Objiciunt III. *vulgatissimum hodiè esse lycanthropis sermonem in ore omnium, & in Livonia locisq; finitimis multos hujusmodi lupos hodiernum passim adhuc vagari.* Ideò non vanam *esse* λυκανθρώπων *famam*.

Responsio. Resp. verbis *Wieri*, quæ habet *lib. 3. de præstig. Dæm. c. 10. ubi sic inquit.* Si qui

Si qui obvagari in Livonia & locis finitimis videantur lupi noxii, quos Lamias putant, Germanis Beerwölff/ii certè vel veri sunt lupi, in ejusmodi tragœdiam excitati à dæmone, qui interim horum vagis erroribus & actionibus delirorum λυκανθρώπων phantasiæ organa imbuit vitiatq;, ut ii se esse excursionum erronearum & actionum authores corrupta imaginatione arbitrentur, fateanturq;, quod quidem diabolo non est difficile, dum humores & spiritus in hæc ludibria idoneos commovet, potissimum quibus atræ bilis nebulæ cerebrum vitiare solent, cujusmodi plerumq; existit fatuum monstrosumq; id genus hominum: *vel* certè Dæmones censendi sunt ejusmodi lupi, qui eam assumsere formam, ut malè credulum hoc hominum genus magis irretirent suis vanimentis, insontes gravarent, & sanguinis innocentis reum redderent Magistratum. Interea *ii, qui se in lupos credunt immutatos, alto immersi somno Diaboli studio alicubi jacere comperiuntur, quorum somnia iis confundit imaginibus, quas hominum oculis præstigiosè in pueris vel insectandis vel vorandis, sive armento lædendo, aut longè lateq; hinc inde vagando objicit veterator ille.* Hæc *Wierus.*

XXIII. Affinis est huic Quæstioni quæstio altera, quâ disquiri solet: *An Magi sexum transmutare valeant?* Sæpius enim naturaliter virum ex muliere, puerum ex virgine factum fuisse legimus, *Plinius l. 7. c. 4. Gellius l. 9. N. Att. c. 4. Livius l. 24. Mizaldus cent. 8. memorab. cap. 1.* Unde & Diabolum suis artibus idem efficere posse concludunt nonnulli. *Verum* exempla illa sunt singularia, & verisimile est, istos homines contracto genitali membro intusque adnato in lucem editos, quod postmodum vinculis ruptis prorupit, ut placet *Cardano l. 8. de var. rer.* Quia etiam per generationem æquivocam partes humani corporis generari non possunt, ideoq; talem transmutationem Diabolo impossibilem concludimus. *Quæstio II. An Magi sexum transmutare valeant?*

XXIV. Sic fuit *primum*, quod Magis ascribitur, hominis nimirum in beluam, & sexus in alium transmutatio. *Secundum* sequitur *Tempestatum, fulgurum, fulminumq; productio.* De hac quæritur: *Possintne Dæmones & lamiæ ventos, tempestates, tonitrua, & fulmina in äëre ciere?* Bodinus ventos omnes vehementiores à geniis excitari opinatur *l. 2. Dæm. c. 8. l. 2. Theat. Nat.* Et quod Dæmones quidem attinet, potentia eorum dupliciter consideratur, *vel sola, vel cum alia. Si sola* consideretur, non potest Diabolus propria virtute tempestates & tonitrua ciere. *1. Operâ* solius Dei omnipotentis non potest producere Diabolus, pro lubitu; *Quæstio III. An Magi possint ciere tempestates?*

bitu;

situ. Certum ex Esai. 42. v. 8. At producere fulmina & tempestates est opus solius DEI, Job. 38. v. 35. c. 48. v. 4. Psal. 72. v. 6. 8. E. ea non potest producere Diabolus. Et sanè si Diabolus in hominum insidias quovis momento intentus fulminis projiciendi tempestatumq; excitandarum potestatem ex se haberet, næ ullibi hominum vestigia nulla extarent. *Si cum alia* consideretur, scilicet voluntate DEI & concurrente natura, utiq; dæmon tempestates potest producere. Hinc materiam elementarem mirè & variè concutere & commovere potest, unde & ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος vocatur Ephes. 2. v. 2. c. 6. v. 12. hinc disgregatas exhalationes non solum cogit & componit, ut sævissima ingravescat tempestas: interdum etiam nulla suppetente vaporum copia aeris contractu fragorem, compulsuq; nimbos concitat: Sed & in exitium hominum & jumentorum, deturbationem ædificiorum, calamitatem agrorũ, materiæ motum detorquet. Sic tempestatẽ & ignem divinitus procreatum ex indultu Dei super oves, Pastores, & filios Jobi trajecit Satanas. Job. 1. v. 16. 19.

XXV. Quod verò ad maleficas illas lamias, earum facultas considератur quoq; *vel propria vel aliena*. *Si propria*, non possunt lamiæ ullam ciere tempestatem. Facerent enim hoc *vel* per imprecationes & ceremonias, *vel* per instrumenta. At neutro possunt. *Non per imprecationes* aut ceremonias: Quantitatum enim, imprecationum & verborum nulla est efficacia, formarumq; externarum nulla per se est operatio. Non per instrumenta, forent enim ea *vel* corporea *vel* incorporea. *Non corporea*, quę enim essent tandem illæ machinæ, quę ferramenta, quæ huic actioni possent sufficere? *Non incorporea*, essent enim illa verba quædam. At horum nulla efficacia, ut probatum. *Si aliena*, nempe Diaboli virtute, possunt omninò. Malus Dæmon, (verba sunt *Scaligeri ex. 349.*) est author fascini, hominemq; illa verba docuit, non ut hominem faceret potentiorem, sed ut ipsum deciperet credulitate, atq; socium haberet tum impietatis, tum exitii æterni. Hinc non præter fidem omninò & opinionem esse videtur, quod *Olaus l. 3. c. 16.* de Lappis & Finnonibus (apud quos populos maxima idolomania & barbaries) refert, quod certo pretio ventos nautis vendant. Quod si ergo interdum revera tempestates & tonitrua à lamiis cieri dicantur, ea à Diabolo, eo quo diximus, modo excitantur, aut prævisa saltem nunciantur. Is enim ut longo temporis usu edoctus artifex astrorum aspectus Planetarumq; effectus habet

bet cognitos, tum etiam in regione aërea idoneas ad syderum influxus recipiendos materias in promptu esse novit, ex quibus & quo tempore talia, qualia à strigibus expetuntur, generari posse prævidet: hinc astutè Magas exagitat, hæc illave parent, quasi vel ob invidiam in proximũ, vel vindictam adversus inimicum, illis, quæ pararunt, aerem sint turbaturæ, tempestatesq; excitaturæ. Hinc sagas instruit, ut quandoq; silices post tergũ occidentem versus projiciant, aliquando arenam aquæ torrentis in aerem projiciant, plerumque scopas in aqua intingant, cœlumq; versus spargant, vel fossula facta aquaq; infusa digito aquã commoveant, & alia id genus deliramenta parent. Atque ut arctius eas illaqueet impostor, diem & horam ex dictis rationibus sibi notas præfigit. Ubi succedit eventus, de suo artificio & virtute gloriantur parum integræ mentis aniculæ.

XXVI. Fuit etiam *secundum*, quod à Magis effici jactitatur, tempestatum pluviarumq; productio. *Tertium* est: *Morborum necisq; in homines aut pecora immissio.* Quæritur: I. *Poßintne Sagæ morbos vel necem ipsam hominibus aut jumentis immittere?* Possunt certè Dæmones indultu DEI varios hominibus morbos inferre, quod vel ex historia Jobi constat, c. 2. v. 7. immò cum sint spiritus tenues & incomprehensibiles, insinuant se quandoque corporibus hominum, atq; in visceribus operti valetudinem vitiant, morbos citant, mentesq; furoribus quatiunt. Veruntamen non omnibus nocere possunt, sed iis solum, quos DEUS suo judicio permittit sive bonos sive malos, hos castigandos, illos explorandos. Interdum tamen causarum naturalium corpus ad morbum pronum reddentium insultus accedit, unde Dæmones τὰ προηγούμενα τοῖς προκαταρκτικοῖς singulari sæpè modo evocare & exacerbare norunt, & hac ratione morbos inferre. Quandoque alimentis & pabulis admiscent venenata; hinc occasionem præbent eundi per loca putridis & virulentis habitibus scatentia. Hinc Sagas nonnunquam venena defodere jubent, qua hominibus pecudibusve via est, quibusque in locis commorandum. Quibus rebus in corpora intromissis *aliàs* spiritus vitales inflammantur, & aut σβέσις repentina, aut μάρανσις lenta inducitur: *aliàs* maligna & mordax qualitas impingitur nervosis partibus, unde intollerabiles cruciatus. *Sagæ* verò suis artibus ne minimum morbum inferre possunt, nisi id mediis naturalibus tentent: (quæ tum actiones non sunt Magarum propriæ.) Sed si

Quæstio III. An poßint Sagæ homines necare aut morte afficere?

 qui

qui inferuntur, à Diabolo inferuntur permissu DEI. Ipse Dæmon (verba sunt *Scaligeri exerc. 349.*) agit; stultus ille ac vecors (Magus) suis se verbis agere putat. Non verum est, ab homine homini nocere posse verbis. Sectatoribus tamen suis, quos scit nocendi cupidos, venena quandoq; exhibenda ipse tradit. Diabolus manum admovere, pulveres, liquores decoctos, & alia, spargere jubet, (qua tamen sparsione id quod intendunt Magi, nullo modo efficitur, cum nulla adsit virium inter agens & patiens proportio, nullus item contactus) ut plurimum solum persuadeat, si quem morbum vel sponte, vel suo etiam subsidio futurum, vel etiam nunc factum animadvertit, si certa quædam parent, his omne, quod evenerit, acceptum referri debere. *Dices: Cur autem venenum, quod Magus alicubi deponit, non ipsum potius Magum, quam alium corripit?* An quia diversa est constitutio corporum, aliis ad contagium proclivioribus atq; aliis? an monet Dæmon, ut caveat? An ἀλεξιφάρμακον addit? Probabilia sunt omnia.

Quæstio II. An vetulæ visu effascinare possint homines?

XXVII. Quæritur II. *An solo intuitu nocere morbumve inferre vetulæ possint?* Ita putantur vulgo homines, infantes præsertim emaciare, qui morbus *fascinatio* dici solet. At nō intuitus, sed halitus venenosus ex ore quandoq; emissus & contagium lædit. Deinde & pusillanimitas & pavor aspicientis, si quid aliud, morbum inferre potest. Nam qui vetulam extimescit, dum malè compositum vultum intuetur, sua sibi cogitatione malum conflat. Neq; enim leves sunt motus spirituum & humorum, qui intensâ imaginatione excitantur. Sæpè qui cibum fastidiosum ab alio comestum videt, etiamsi non odoretur, sola imaginatione ad vomendum adigitur. Pueri baculo percussi sævoq; vultu à vetula territi in morbum incidunt, qui vulgò effascinati creduntur. Quod autem *Plinius l. 7. N. A. c. 2. Gellius l. 9. N. A. c. 4.* de Triballis & Illyriis quibusdam tradidere, qui visu effascinarint, quos diutius sunt intuiti, huic non officit sententiæ. Non enim illi spiritu exitioso ex oculis emisso effascinarunt, sed metus aspicientis morbum intulit. Quia enim in illorum vultu dirum quid Natura efformavit (fuerunt enim gemina in oculis pupilla cognobiles) ejus intuitu metus & consternatio tantaq; ad cor compressio facta est, ut perseverante inspectione cor angustia opprimeretur, & prohibita eventatione omninò suffocaretur. Hinc iratis oculis nocuisse, quia major tū truculentia: hinc puberes interemisse, qui distinctius, quam pueri, quæ in vultu sunt, colligunt, perhibentur. Sic quod

vultui

vultui hominis est impressum, simul atque diligentiori observatione fuerit observatum, singulares in animis motus excitat, quibus vel ad amorem vel odium, metum, commiserationem rapimur, etsi de moribus nobis non constet.

XXIIX. Quaeritur III. *Utrum Magae conjuges ligare queant, ut sobolem de se propagare non possint?* Frequens est in praxi Magarum maleficium istud ligaminis, quo conjuges ligare solent, ut procreationem prolis promovere nequeant. Et possunt sanè Daemonis operâ genituram destruere medicamentis, organa generationi data vitiare & ad congressum inepta reddere, & vel retrahendo intra abdomen, (quod cuidam Spirensi contigisse memoriae est proditum) vel alio modo congressum impedire. Ligaturas autē constrictas, herbas sub lecto repositas, Veneri obstaculo esse, & si talia lectis libidinis refraenandae ergò à nonnullis substrata esse constet, *Camerarius cent.1.c.1.* imaginamentum merum est. Praeterquam enim quod multa è natura possint esse coitus impedimenta: non raro contingit, eam esse amoris violentiam, ut spiritibus omnibus intra ad praecordia concentratis, partibus genitalibus, quas spiritu turgere oportet, nulla suppetat copia, unde generatio prohibetur & coercetur. *Quaestio III. An Sagae conjuges ligare possint?*

XXIX. Fuit etiam *Tertium. Quartum,* quod Magis ascribitur, est *Morborum sanatio, valetudinis confirmatio.* Quaeritur? *Possintne Magae morbidos sanare, valetudinemq; restituere?* Possunt omninò: sed tamen sanationes istae mediis auxiliisq; naturalibus instituuntur. Nam & causam arcent noxiam, quae forinsecus sive ultrò, sine ipsorum opera Daemonum irruit, & salutaria undecunq; auxilia, quibus blande demulceatur & alteretur malum, corpori subministrant. Quae cum ipsae subitò & affatim parent, sanationes celeriter & praematurè absolvuntur. Morbos autem, quae Magicis artibus sunt immissi, nec omnes nec semper se sanare posse ultrò fatentur Magae. *Bodinus l.3.c.2.* Qui autem sponte accesserint morbi, si à Sagis sanantur, non est hoc Sagarum proprium, sed cum multis aliis commune. *Veruntamen non possunt recitatione verborum suorum, quod sibi persuadent Magi, ullum morbum sanare.* Verba enim prolata & scripta si inprimis dematur formale seu usus significativus conceptuum, quoniam nil aliud sunt, quam merae quantitates (sunt enim numerus literarum & syllabarum) non potest eorum ulla esse efficacia, cum omnis operatio sit à forma, quae per qualitatem est efficax. Quod autem quosdam *Quaestio IV. An Magae possint valetudinem restituere?*

 morbos

morbos certorum recitatione verborum ſanari nonnunquam videamus, ut fit in hæmorragia: non verbis hæc ſanatio eſt adſcribenda, ſed perſuaſioni è verbis conceptæ. Ut enim anodynamenta, (quæ vocantur) dum animũ proſtratum recreant, & ſpiritus à parte dolente avocatos aliò traducunt, doloris ſenſum obliterant: Sic influxu ſanguinis recitatis certis verbis, ſi firma accedat perſuaſio, ſpiritus ad contrarium motum abripiuntur, ſanguinisq́; eruptio ſiſtitur.

XXX. Vidimus & *quartum*, ſanationes ſcilicet morborum, quæ Magis adſcribi ſolent. *Quintum & ultimum* Magicarum actionum reſtat, gratiæ nimirum opumq́; procreatio. De hac diſquiritur: *An poſſint Sagæ artibus ſuis gratiam procerum, honores, divitias, pulchritudinem conciliare?* Amicitiam & odium certum eſt voluntate hominum comparari. *Gratia* quoq́; procerum, honores, divitiæ, pulchritudo, ſunt dona DEI, à Deoq́; expectanda, non à Magis expetenda. *Et Gratiam* quidem quod attinet, Magos ipſos inviſos eſſe ubiq; & in odio capitali haberi apud pleroſq; videmus. Quare ne ſibiipſis quidem nedum aliis gratiam conciliare valent. *Quod ad honores autem & dignitates*, conſtat, non alios homines magis contemptui & abominationi eſſe atq; ipſi Magi. Neronem, poſtquam Magicis artibus ſe devoviſſet, è ſolio deturbatum, probris à quolibet laceſſitum, atq; ab omnibus deſpectui habitum refert *Suetonius in Nerone. Quod ad divitias*, nunquam adhuc extitit Magus, qui ſua arte dives evaſerit: imò quicunq; divites Magicis ſeſe addixerunt artibus, ut divitiis augeſcerent, in paupertatem abiere: egentes verò paupertatem & egentiam toto vitæ curſu ferunt. *Pulchritudinem* verò quod attinet, tantùm abeſt, ut Sagæ aliis pulchritudinem conciliare queant, ut ipſæ ſint maximè deformes & abominabiles: Neq; enim unquam comperta eſt Saga, quæ ſuis incantamentis unguentisvę ſic fucare faciem potuerit, ut viſa fuerit ſpecioſior, ſed contrà omnes ceu ex furiis ortæ apparent. Hæc igitur & ſimilia falsò aſcribuntur Magis, illorumq́; ritibus & deliramentis. Non enim quia quædam in commemoratorum ſucceſſum adminiſtrantur à Magis, res ipſæ ſuccedunt: Sed quia verè jam evenerunt aut eventuræ ſunt, Dæmonum hortatu talia ab iſtis peraguntur.

Quæſtio IV. An Sagæ poſſint divitias, honores, gratiam, formam conciliare?

XXXI. Hactenus actiones Magicæ, tam ea, quæ Magis ipſis evenire, quam quæ à Magis in alios exerceri dicuntur: Sequuntur actionum Magicarum *probationes*, è quibus Magiæ crimen evinci poteſt.

Varia

Varia quidem sunt tam probationum indubitatarum, quam præsumtionum adversus Sagas genera, quæ fusè videas apud recensentem *Bodinum l.4. Dæm.c.1. 2. 3. &c.* Nos unicum illum *probationis Sagarum per aquam frigidam modum* nonnullis in locis usitatum, hoc loco dispiciemus: quæsituri: *Quid de examine Sagarum per injectionem in aquam frigidam sit statuendum: Sitne certum & infallibile ad evincendum Magiæ crimen*: Probatio peragitur hoc ritu: Pedibus manibusq; ligatis & vestibus prius exutis hac ratione vinciuntur Sagæ, ut dextri lateris manus sinistri pedis pollici, & vicissim sinistra manus dextro pedi arctè colligetur, ut ne minimum quidem se aut corpus movere possint. Ligatæ hoc pacto in aquas conjiciuntur: Si supernatârint, criminis Magiæ probatio est: Si submersæ fuerint, innocentiæ est indiciũ. *Quæstio: Quid de examine Sagarum per aquam frigidam sit statuendum?*

XXXII. *Wierus* quidem Philosophus, Medicus *l.6. de præ. dæm. c.7.* huius examinis mentionem faciens illud nihili faciendum & contemnendum esse concludit. Consentit cum eo *Timpler. l.3. Apsy. c.2. q.12.* Verum utut sit, non omninò vanam esse illam Sagarum per aquam probationem, sed præsumtionem Magiæ validissimam inde peti videtur. *Philarchus* in Insula Ponto genus quoddam hominum Magiæ Diabolicæ maximâ ex parte peritissimorum reperiri refert, quia nulla ratione in aquis submergi possint, ut maximè pluribus vestimentis aggraventur; unde præsumtio Magiæ certissima de illis sumatur. Et sanè cum omnium Academicorum simul ac Peripateticorum unanimis & concors sententia sit, levia ferri sursum; gravia verò deorsum: Istæ autem mulieres etsi corporibus constent gravibus, nihilominus aquis supernatent, omninò præsumtio oritur validissima, mulierculas hujusmodi fœdus cum Diabolo iniisse. Etsi enim eadem sit corporum in Sagis, quæ est aliorum, constitutio; manente scilicet eadem forma & materia: Diabolus tamen ab eo tempore, quo fœdus cum iis iniit, corpora Sagarum variè ita exercet, ut etiam contrà, quam propensa sint, violenter ea interdum commoveat, quemadmodum hoc vel ex eo patet, quod interdum in aerem motu rapidissimo illa attollat, ut thes. 8. dictum. Sed nos ulteriorem hujus Quæstionis discussionem JCtis relinquimus.

AUCTARIA.

I. Sagæ cum torquentur, plerumq; non solent lacrymas emittere. *Causa* esse potest: *1. pertinacia* & contumacia Diaboli inprimis instinctu in Sagis producta. Et videmus quandoq; pueros, quibus

bus naturâ lacrymæ sunt familiares, obstinatos ad sanguinem usque cæsos, ne lacrymam emittere. 2. *stupor vehementißimus*: sic in malis insperatis lacrymis locus esse non solet, *Camerarius cent. 1. c. 29.* 3. *Torpor membrorum*, qui sæpe & in aliis lacrymas solet comprimere.

II. Affectionem illam, quæ dormientibus, qui tergo incumbunt, evenire solet, Græcis ἐφιάλτης, Germanis die Mahre/ dictam, vulgus vetularum spectri quoddam genus esse credit superstitiosè: cum tamen ex causis naturalibus suam habeat originem. Si quis enim tergo incumbat, fit, ut spina dorsi, & quæ sub ea, cor ipsum propius attingant & premant, qua compressione ejus motus nonnihil impeditur: impedito motu halitus & fumi crassiores circa illud colliguntur, qui deinde in cerebrum ascendentes monstrosas imaginationes & terriculamenta gignunt, quasi spectrum adsit, quod pectus comprimat. Quin & corde ita presso pulmones premuntur, & vox velut intercipitur, ita ut hoc affectu pressi, opem aliorum imploraturi, pulmones commovere & vocem edere nequeant. Lemnius de mir. naturæ l. 2. c. 3. & 5.

III. Cum sanatio vulneris includat alterationem, alteratio autem requirat alterantis & alterati contactum vel mediatum, vel immediatum; sequitur planè superstitiosam esse illam ὁπλιατρείαν, id est, curam aut inunctionem armorum ad sananda absentium vulnera. Quandoquidem hic *neq; contactus immediatus* est unguenti ad vulnus, testante ipso sensu: *Neq; mediatus*, cum in omni contactu mediato corpora inter media apta sint ad recipiendam vim alterantis: Sic corpora inter nos & cœlum interjecta apta sunt ad recipiendam vim alterationis cœli: Ferrum autem & aër planè non sunt corpora idonea ad recipiendam vim sanativam unguenti: cum ista non sint corpora sanabilia, ut nec vulnerabilia sive morbis obnoxia.

IV. Aërem esse Elementum humidissimum contra *Bodinum The. Nat. Timplerum l. 1. Apsy. c. 5. 9. 5. aquam præferentes, asserimus.*

V. Animalcula quædam in igni gigni & vivere, testantur *Aristoteles l. 3. de gen. anim. c. 11. l. 5. hist. anim. c. 19. Plinius l. 12. c. 36.* Sed rectè *Marsilius* cognatus Philosophum explicat *l. 1. c. 23.* quod Philosophus ea tantum referre non affirmare videatur. Cum contrarium ex ipso Aristotele demonstrari possit. Vide *l. 4. meteor. c. 1. l. 2. de generat. animal. cap. 3.*

FINIS.